



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

XXXVII [i. e. XXXVIII]. Quòd Canonici regulares ad religionem  
Hospitalariorum transire non possint.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

gulæ tamen inferviunt laxiori, & per antiquos canones etiam monachi possunt ad parrochialium Ecclesiarum regimen in Presbyteros ordinari, ex quo debent prædicationis officium, quod privilegiatum est, exercere, sic annuendum duximus postulatis, ut plebani exercens officium, si commodè fieri poterit, unum Canonicum regularem tecum habeas ad cautelam, cujus in his quæ Dei sunt & regularis observantiæ tam consortio quam solatio perfruaris.

TITULUS XXXVIII.

Quòd Canonici regulares ad religionem hospitaliariorum transire non possint.

*Idem Ci. Lubuffensi Episcopo.*

**R**Eferente dilecto filio fratre V. hospitalario nostro est apostolatui referatum quòd cum à tempore juventutis suæ secundum institutiones Canonicorum regularium Aurovasiensis Ecclesiæ beati Augustini regulam professus fuisset, & in ea ultra decennium permanens, sacros ordines usque ad sacerdotium suscepisset, juventute postmodum impellente, curiositate potius quam religionis amore devictus, terram Hierosolymitanam & alias videre desiderans, ab Abbate suo non tam voluntariam sub eadem conditione licentiam obtinuit quam extortam ut si bonæ memoriæ Alexandrum Papam prædecessorem nostrum inveniret in viam, causam itineris sibi exponeret, & juxta mandatum vel procederet vel rediret. Verùm ipse neglecta conditione procedens suscepit habitum hospitalis, in cujus servitio usque ad hæc tempora fideliter laboravit. Sed cum ordo præmissus districtioris sit observantiæ quam secundus, prudenter attendens quòd de laxiore ascendendum sit ad ordinem arctiorem, non autem de arctiore ad laxiorem sit ratione aliqua descendendum, ad se Domino inspirante reversus, ad bonum redire desiderat quod dimisit. Cum itaque non mediocriter delinquat qui minus bonum majori bono præponit, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus inquisita super præmissis diligentius veritate, si rem inveneris ita esse, præfato fratri V. licentiam auctoritate apostolica præbeas ad primum ordinem redeundi.

TITULUS XXXIX.

De voto & habitus susceptione.

*Idem Aconensi Episcopo.*

**S**Icut nobis est ex parte tua propositum, quidam clericus cum ægritudine nimia laboraret, quasi de morte securus, & de recuperanda sospitate desperans, habitum Canonicorum regularium petiit & accepit, ea in susceptione habitus exprimens ac promittens quæ solent in hujusmodi repromitti. Sed nec ad Ecclesiam transiit, utpote infirmitate gravatus, nec bonis suis uti cessavit. Postmodum verò sospitate suscepta, post quindecim annos & ultra, videntibus & scientibus venerabili fratre nostro Archiepiscopo & dilecto filio Priore & Canonicis Ecclesiæ Nazarenis, à quibus habitum susceperat regularem, tu, licet eo tempore quo habitum susceperat, in Ecclesia Nazarena Prioris sollicitudinem exerceres, immemor eorum quæ facta fuerant circa ipsum, in Aronensem eum Canonicum suscepisti. Quia verò quid super hoc facere debeas, per nostras expositulas literas edoceri, fraternitati tuæ duximus respondendum, quòd si regularem habitum se postulante suscepit & ad observationem religionis canonice suæ se professione ligavit, ad resumendum habitum ecclesiastica est districtione cogendus, cum quòd tanto tempore extra canonicam mansit, non in excusationem ejus, sed in majoris transgressionis augmentum merito valeat allegari.

*Idem Episcopo & Capitulo Traguriensi.*

**S**Icut tenor vestrarum literarum nobis aperuit, cum P. lator præsentium in sacerdotali esset officio constitutus, & tanta rerum temporalium indigentia laboraret quòd nec sibi nec suis progenitoribus seu fratribus in necessitatibus propriis posset aliquatenus providere, proprii corporis laboribus & maris periculis multis se non dubitavit exponere, ut de suo labore & acquisitione honesta suam & suorum posset indigentiam relevare. Contigit autem post hæc quòd ipse longè à vestra civitate consistens tam gravi coepit ægritudine laborare quòd extra se positus desperaret de vita præsentis, & cum in tali esset articulo constitutus, à quodam simplici monacho indutus fuit habitu monachali, & ad monasterium deportatus. Deinde

FFff ij